



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. Nomen Hispaniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## LIBER QVARTVS.

*De Hispania secundum Antiquos.*



XPLICAMVS hoc libro nobilem Romanis belli campum, & in quo prolusere ad Carthaginenses in patriâ suâ prorsus atterendos: sed vnde Romanam auaritia venit, & materia luxus atque corruptelæ pecuniæ, multis triumphis inde deportata. Verùm antequam attingamus Geographicam enarrationem, pauca de more ex historiâ supponamus.

## CAPVT PRIMVM.

*De Hispania Antiqua in communi.*

§. I. Nomen Hispaniæ.

**P**RIMVM est HISPANIA; quod qui deducunt ab Hispano Herculis filio, vel ab Hispano Rege irridentur meritò à Lud. Nonnio. Sed sic dicta videtur à Pano præfecto Bacchi, & primùm Pania, mox quia ei cognominis erat Pelopōnesus, aut certè Arcadia, addita vox His, quæ Teutonicè Occidentem sonat, ita Goropius.

Secundum est HESPERIA, vel ab Hespero Stellâ, vel ab Atlantis fratre, qui translatus in Italiam eam quoque Hesperiam dixit, sed hæc Magna, vt illa Ultima nuncupata est.

Tertium IBERIA, aut à fluvio Ibero, qui hodie dicitur Ebro, vel melius ab eo qui in Bætica vocatur Rio Tinto, & Azeche, aut sancè nomen habet ab Iberis Asiæ populis, vt vult Varro apud Plinium; quamquam Dionys. Alex. & eius Scholiaستes, Asiaticos ab Europæis vocatos purent.

Quartum CELTIBERIA, quo vtitur Diodorus Siculus, cùm Lusitanos fortissimos Celtiberorum appellat.